



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa tres primos Symboli Catholici Articulos**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphaliae, 1608**

Tertia Thesis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35415**

confeſſione D. Paulus, Petrus, Lucas, Chriſtus, principes primipili & duces Calvinistarum, qui iam mille ante Caluinum annis, & eo amplius, mortale hoc corp<sup>o</sup> exuerūt. Alios quosdam errores accumulatas de confuſione generis & ſpeciei, operis & vitij inhærentis, aliorumq; ſupra refutatorum. Sed ijs nihil aliud efficit, quam vt videamus te eſſe nouum quendam Chinenſem Deum Confuſum. Hæc ad primam criminationem.

## TERTIA THESIS.

PATREM. Et hic (quod erat neceſſe transformato iam Deo) in vitricum, in Tyrannum, in Carnificem multis nominibus ac modis à Caluino eſt commutatus. Primum enim diu ante præuiſa peccata omnia, atq; adeo ab æterno, prius atrocem in humanum genus tulit ſententiam; quam perſpexerit cauſam, prius ſempiternis hominem adiudicauit inferorum ſupplicij; quam vlla eius præuideret ſlagitia, prius deſinuit vniuſcuiuſq; reprobandi pœnã; quam cognôrit culpam. Homines, ait, lib. 3. Inſt. cap. 23. §. 2. nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædeſtinantur. & ibidem cap. 22. §. 3. vbicunq; regnat hoc Dei placitum nulla in conſiderationem veniunt opera. *Quid autem poſtea? vt hoc quod decretat ad eum modum iniuſtè, videretur tamen exequi iuſtè, non permittendo tantum laxauit habenas malis ſpiritibus, ad hominem in ſcelera quæq; propellendum: verum etiam vt*  
id

*id facerent, illis iniunxit. Scimus, ait, lib. 1. Instit. c. 18. §. 1. Sathanam se coram Deo sistere ad excipienda iussa non minus quàm Angelos: nec quid aggredi nisi volente Deo, cuius cum certo mandato mittitur, vt sit spiritus mendax in ore prophetarum. ad cuius nutũ potentiamq; respõdet instrumentum magis ipfius in agendo; quàm author. Lib. 2. Instit. cap. 4. §. 5. Præterquam enim quod iurato nostro hosti mandat imbecilli homuncionis oppugnationem; eum etiam occulta quadam vi, in illo oppugnando supplantandoq; adiuuat, adigitq; Sathana & peccato victas manus dare. Agit igitur homo lib. 1. Inst. cap. 18. §. 4. iusto Dei impulsu, quod sibi non licet, & in quo peccat, flammamq; meretur æternas.*

QUARTA THESIS.

**E**Xcusatum à peccato hominem putasset alius in Deo, quod voluntatem suam voluntati ac impulsui conformasset diuino; vt cui nec debeat, nec possit resistere. Sed nequaquam eum excusari apud Deum permittit Caluinus. Excusabiles, ait, lib. 3. Inst. c. 23. §. 9. peccãdo haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem; præsertim cum ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas. Nos vero inde negamus ritè excusari. Ne vero quid deesset ad certam hominis perniciem & interitum; idem ille pius Calvinistarum Parens legem homini dedit; quam nec per gratiam Dei quam amicumq; etiam, posset seruare.